

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCVIII

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80
ubique extra Italiam Libell. 6,25
(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)
recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis" possessorum et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque sive *Vox Urbis* kalendarium, sive tabulam m. 0,25 × 0,45 Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pio PP. IX anno MDCCXLVI peractam, *ad libitum* sibi habebit.

Qui socios novos comparaverit duos pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotatione sibi gratuita omnino fruetur.

Qui socios novos comparaverit tres — bibliopolis exceptis — magnificam tabulam dono accipiet m. 0,63 × 0,85 in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, officina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium mensem — bibliopolis pariter exceptis — dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romanum usque, atque inde in domum suam, secunda, prout vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra, eodem itinere gratis omnino gaudebit.

Ann. XI. ROMAE, Kal. Octobribus MDCCCCVIII Num. X.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 4,80
ubique extra Italiam: Lib. 6,25 (Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorum et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA
apud
Librairie Gamber

IN ANGLIA
apud
Burns and Oates

IN RUSSIA
Varsaviae Polonorum
apud
Gebethner et Wolf
Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN CANADA
apud
Librairie Granger Frères
Montreal
1009, Rue Notre-Dame.

MAGNI MOMENTI MONITUM

Pontifícia officina Candelarum ad Sacra
vapore acta

CONSTANTINI PISONI

ROMAE in ITALIA

Corso Vittorio Emanuele, 127-129 — Via Sediari, 1-2-3

innumerorum eorumque illustrium clientum
repetit in *faculas ad noctem* atque ad collu-
strandum, quas iure proprietatis sibi protexit.

In his

Lux — Salubritas — Parsimonia

Mundities — Diuturnitas — Commodum.

Sunt enim forma singulari; a ceteris huiusmodi omnino dif-
ferunt tum ex Itallicis tum ex exteris officinis; perfecte com-
buruntur; tempus maximum durant.

**Qui semel expertus fuerit, eas procul dubio
in posterum semper adhibebit, nunquam relinquet.**

Vitrei caliculi consulto ad usum apparati venumdantur.

Candelae ex cera ad sacra - Candelae exquisitis ornamentis decora.

Officina condita est anno MDCCCIII



Diversorium Magnum, cui a Minerva nomen
(*Grand Hôtel de la Minerve*)
ROMAE - Piazza della Minerva - ROMAE

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro,
recens omnino instauratum - Tercenta cubicula et
magnae aulae - Calefactio - Balnea - Electrica lux
ubique - Machinae duo ad ascendendum - Hiemale
viridarium - Ludi tridiculares - Aulae mulieribus
reservatae.

Sacellum pro sacerdotibus ad sacra litanda.
Leopoldus Scotti, moderator.

Gulielmus Gaudenzi
Romae, Tor Sanguigna, 2-3; Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi cru-
cifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum
omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad
sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros,
omniaque in Puellarum Mariae usum; pulrarum ar-
tium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et
similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Prospectum subnotationis *Vox Urbis* Commentarii
in an. MDCCCCVIII
videas in quarta operculi pagina.

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Octobribus MDCCCCVIII.

Num. X.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Ex Suedia. — De Suionum beata civitate.
Utrum Christiana religio ab antiquorum populorum ritibus ma-
naverit.
Vox Urbis Palaestra. — Roma Aeneidis scopus.
De re litteraria apud Subalpinos. — De Historia: Thomas Vallan-
tius. — Thomas Chiuso sacerdos. — Dominicus Promis.
Horae subsecivae. — Sculptori opus.
Ioci.
Napoleonis I. supremi dies.
Acta Pontificia. — Sanctissimi Domini nostri Pii divina providentia
Pape X litterae encyclicaes de modernistarum doctrinis: Modernismi
vita et propagatio. — Contra modernismum remedia.

Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae se-
lectae.
Diarium Vaticanum. — Coram SSmo admissiones. — Pontificias electio-
nes. — Vita funeti viri clariores. — Varia.
Annales. — Turcicas reformationes. — Mauritania res. — Ex Perside. — Re-
galia itinera et colloquia.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per Orbem.
Libri recente dono accepti.
Aenigmata.
In tercia operculi pagina: TARCISIUS - Actio dramatica I. R. FRANCISCA
versibus senariis conscripta.

Ex Suedia


De Suionum beata civitate

Qui, peregrinus imponitens, ex inferiore America
aliquot ante menses litteras misi, nunc a loco prope
nordicum polum vestri non immemor ad vos scribo
de Suionum gente, quam nuper visitavi, cuius com-
mune effatum est, in principio Deum, quem terram
seiuinxit ab aquis, Suionum plane esse oblitum. Equi-
dem Suedicae terrae aquis interceptae sunt fere un-
dique fluctusque nordici maris alluunt undeaque
urbes eorum et agros. Eam ob rem Venetiarum vere
persimilis Stockholm urbs apparet, divisa totidem in
insulas, pontibus passim interiuncta, aquisque inter-
secata per totum. Regionis adspectus Galliam pene
aequat omnem; qui vero ibi vivit populus, Parisiensem
multitudinem nondum vincit. Varia est ubique ter-
rarum facies, sterilis admodum saepeque palustris;
frigidus aër, hiemesque diuturnae; nec licet diu neque
funditus colere solum. Quibus de causis perrarae ibi
urbes, ita ut vaporitraha, quae urbem caput petit
in via per quadragies centena millia passum deducta,
quinque vix urbes attingat, quarum quae maxima est,
ne quadraginta quidem millia civium dinumerat. Has
circum urbes, quae tamen in dies magis augmentur,
latissima praedia optimates veteres possident, qui
veteri adhuc more sua inter praedia viventes, non tam
populi principes, quam et patres et custodes esse vi-
dentur. Ceterum regia edicta praediorum huiusmodi
protuentur fines atque vetant quominus in partes di-
visa venumdentur.

*
Suediae pleraque civitates prope mare exstructae
resident, parvae quidem sed nitidae, atque mundae

passim. Nullus per viam mendicus occurrit, aut sor-
didus puer; nullus querulus venditor vel mercator,
ipsique diariorum distributores gravi incessu et vulta
folia sua venditant.

Tantus ordo tantaque mundities et quies e civium
moribus nascuntur, atque ex ipsa eorum indole, qua
quidem fit ut non modo civis, sed advena quisque
atque peregrinus seipsum plane quietum et tutum
undique sentiat. Nam Suionum populus gravis ple-
rumque est et a nimia familiaritate alienus. Attamen
communi bono reipublicaeque angumento suo quisque
pro posse privata quoque vita dat operam. Privatae
autem civium vitae incuriosi passim magistratus vi-
vunt, plenunque quidlibet agendi civibus arbitrium
relinquent.



Ceterum indiciorum quoque ordo simplex est et
brevis, neque privatorum libertatem ullimode minuit
aut cohabet.

Parum enim relinquuntur notariis aut causidicis:
nam quod quisque sese facturum spopondit adimplere
fideliter solet, nec quisquam proximo suo nocere ni-
titur.

Rigidissima enim lex civium conscientia est, et
quia nulla aut fere vitae pugna geritur, Suionibus
vivendi iter fit civi felicissimo planum.

Nam si forte discidium inter cives oriatur, ad
arbitrum probum eumque prudentem utrinque con-
figitur, qui rem amice et sine strepitu iudicij com-
ponat. Passim enim, imo ubique civium integritas
probitasque splendescit. Quo fit ut rari ibi fures
sint, omicidae rarissimi, custodesque urbis nullum
fere negotium, sed otium plerumque spatiosum ma-
neant.

Quid plura? Publicis in curribus viatici obolum nemo colligit, sed, antequam quisquam descendat vehem, pecuniam in gazophylacium, curante nemine, immittit. Theatrorum in aulis vestium asservator est nullus, sed penulum pileumque quo libeat quisque appendit rediens tute resumpturus.



Fides haec publica, vetus, plena, pacificam ac mire quietam Suionum facit vitam. Quisque enim civi suo fudit, optimeque scit se, poscente tempore, auxiliatorem et amicum inde habiturum, hostem vero nunquam. Oritur inde passim beata pax atque non turbata felicitas, qua tamen illud forte fit, ut non satis alacer quisque ad augendas sibi copias et comoda adlaboret.

Quibus omnibus unum addere praestat, nullib[us] in orbe vectigalia esse minora quam apud Suiones. Nam vix praediorum dominium atque servorum numerum minimo quodam tributo premuntur; artes aut commercia, aut industria opera soluta omnino libertate geruntur. Nec deest imo oppidum quoddam lacustre, ubi et panis et vis luminis electride comparata publico aere cuique distribuatur.

Quae quum nos meridionalium regionum incolae legimus, fabulosos saturniae aetatis audire eventus nobis videmur; adeo enim multiplex haec et varia et inquieta humanitas nostra a beata ista ac tuta Suionum ratione vivendi distat. Quodsi forte illi renidenti nostrorum caelo et mari et viridibus collibus invideant, maiori plane iure nobis eorum paci ac beatitudini invidendum est.

VIATOR.

Utrum Christiana religio ab antiquorum populorum ritibus manaverit

(Cfr. an. XI, n. VIII)

At instant, qui dicunt Babylone se vidisse religionis Christianae cunabula. Quam longa vos fecistis itinera! Quid Babylone vidistis?

« Vidimus scripta atque instituta Iudeorum, quorum scilicet libros Christiani adoptarunt; vidimus sabbata, paradisum, decalogum, Dei nomen, diluvium, Messiam, psalmos ».

Similia quaedam vidisse videmini; quod autem illinc profectam esse putatis religionem Christianam erratis. Quod simile nobis, vel potius Iudeis est, vidistis. Quid? Nullam animadvertiscistis discrepantium? Quod unum Deum colunt Iudei plures Babylonii pro nihilo habent? Nascentur eorum dii, bello con-

tendunt, postea incompositam mundi materiam instruunt. Noster autem Deus ipsam mundi materiam efficit, effectam disponit. Invenitis igitur communia esse quaedam Babylonii cum Iudeis: num etiam quae similia sunt duobus populis, ab alterutro accepta sunt? Et si ita sit, utrum a Babylonii Iudeos, an magis a Iudeis Babylonios ea accepisse dicitis? Similia esse vidistis, translati esse non vidistis, translationis argumentum praeter similitudinem dedistis nullum, neque dare potuistis; non ergo fidem facitis.

Sed consideremus accuratius quae vidistis Babylone instituti Iudeorum similia, ne ulla relinquatur spes similitudinem aliquid acturam, neve videamus iniuriouse, quae non adspicerimus, reieccisse. — « Habent Babylonii sabbata ». Diceretis verius habere nomen, quod legi possit et *schabatu* et aliter needum satis constare inter doctos, quae sit verior vocabuli prounniciatio. Porro lunam sequi quorundam dierum observantiam, praeterea nos scire nihil. — « Paradisi habent nuntium ». Argillaceum habent cylindrum solum paradisi vestigium. Duorum hominum vestitorum linea et arboris in eo cognosci possunt. Has paradisi reliquias esse posse confitemur, esse additum nullo verbo est; ab hoc cylindro in genesim immansasse paradisi vitam nemo est quin videat. — « Habent leges decem Moysis praeceptis similes ». Similes; homines enim fuerunt Babylonii, quibus, quae continet decalogus non Moyses fere, sed natura praecepit. — « Habent Dei nomen quo utuntur Iudei; ergo Iudeorum religio a Babylonii est ». Miror, mehercule, concludendi audaciam. *Iu* quendam celebant Babylonii antiquissimi, quem Iudei vocant *El*, quem Phoenices eodem nomine vocabant, quem Arabes *Ala*, quem Syri *Sassari-El*, regem regum. Dicitisque et Iudeos et Phoenices et Arabes et Syros Babylone primum didicisse Deum colere? Non omnes dicitis, sed Iudeos solum, quia veram religionis nostrae originem non assumere statuistis. — « Vidimus Babylone diluvii famam ». Potuistis Romae videre, non apud Christianos, sed apud Ovidium Nasonem, qui quum nemo Romae Christianus esset, de Deukalione et Pyrrha scripsit ex ingenti inundatione servatis. Quam vero differt Babyloniorum diluvium a nostro! Nos enim ex sacris litteris novimus hominibus perditissimis poenam impositam esse: Babyloniorum dii, ut voluptatem caperent ex mortalium interitu, aquas ex caelo profudisse putantur; nos scimus servatum Noen, scimus, quamdiu terram aqua texerit, locum, columbam, arcum: Babyloniorum monumenta nihil hoc genus tradunt et tamen ab eis nos instructos esse dicitis. — « Habent Marduk Babylonii deum valde similem Christo. Lucis deum dicunt et servatorem et sapientiam; vere, quo Christiani pascha celebrant, Babylonii Marduk maxime honestant ». Quem quod lucis deum colunt et sapientiae, renascens vere na-

turae vita causa est: nos paschate celebramus Christum occisum et ad vitam redeuntem, quod verno tempore factum esse memoriae proditum est. Praeterea Marduk cum Christo simile non habet quidquam. Nec ibimus infinitas Babylonios deos orasse formulis psalmorum versibus non dissimilibus. Verum ut loquar, admirationem non tenui, quum quondam in schola legerentur Babyloniorum psalmorum partes. Sed ipsa natura humana orandi modos facile aequat; naturam sequetus est psalmista et Babylonius poeta; psalmista deplorat peccata commissa, poenitentiam agit, emendationem promittit: Babylonius auxilium solum petit, neque tam crebro in psalmistae verba incidit.

Itaque nos neque ab Indis, neque a Persis, neque a Babylonii assumptam tenemus religionem, sed ad Christum caput, ad Deum maiorum nostrorum vestigiis revertimur. Possum persequi, quae religionis et qui temporum status quasi procreatores religionis Christianae habiti sint, sed quod hodie longum est omittam. Haec autem, quae dixi, idcirco ante conspectum tuum posui, ut et doleas et gaudeas: doleas, quod adversarii nostri tantum laborem, tantum studium, tantam industriam conferant ad labefactandum verum Dei cultum; gaudeas, quod nullus fluctuum impetus obruet montem, in quo omnium gentium arx caelestibus praesidiis munita est. Adversarii autem nos oderunt, non, quod ratione intelligent a veritate nos defecisse — leves enim culmi sunt, quae in nos detorquent argumenta, dum tranquilli obumbramur roboris frondibus — sed oderunt nos, quod recte coradi non sunt nostrisque institutis liberioris vitae dissolutionem vituperari sentiunt.

PHILANDRIUS.

finis, tota quasi meta quo tendant reliqua, totum operis propositum constitutum.

Longe alius finis sine ulla dubitatione Vergilio Aeneida scribenti ob oculos obversabatur; iam enim in primis versibus, tamquam in aedium aditu, poetam dicere incipientem videmus ab illius finis commemoratione, quem in suis itineribus Aeneas persequuntus est. Virum canere ait:

*Troiae qui primus ab oris
Italianam fato profugus Larinaque venit
Littora;*

qui multa adversa pertulit multaque pericula sibi subeunda putavit

*dum condaret urbem,
Inferretque deos Latio: genus unde Latinum,
Albanique patres atque altae moenia Romae.*

Aeneidis itaque finis Roma est; atque ita est, ut in omnibus poematis libris sanctum Romae nomen sculptum et iucunda Romae imago adumbrata esse videatur. Roma Aeneidis, tamquam templi cuiusdam, aditum, ut modo vidimus, clarissimo fulgore collustrat atque distinguitur; Roma intra Aeneidem, si ita loqui fas est, vivit, spirat; Romae magnitudo atque dignitas templum hocce omni ex parte compleat; quum denique ad huius templi fastigium venimus, ibi Romanum magnificentissime splendentem, tamquam operis universi coronam contemplamur. Quae quidem ne nostro arbitratu dicta, sed revera ita esse, luce argumentorum accidente, appareant, prius quomodo in universum Roma sit Aeneidis quasi animus repeatam, deinde quoniam pacto integra atque magna in Aeneide Roma splendeat probare contendam.



VOX URBIS PALAESTRA

Roma Aeneidis scopus

Perlegenti cuiilibet Vergili Aeneida, statim et quasi sua sponte, huiusmodi quaestio praesto fit: quoniam tandem aliquando tot praestantium factorum commemoratio, bellorum, itinerum, victoriarum, ludorum etiam sive descriptio, sive potius pictura praestantissima tendit atque collineat? Utrum ut illius, qui primas in tota rerum successione tenet, Aeneae videlicet laudes contextantur; an vero ut legentibus pulcherrimorum eventuum seriem optime fietam, accuratissime dispositam, versibus etiam expressam concinnis atque sonantibus, grata delectatio creetur? Est istuc quidem aliquid; at multum abest ut sit in his, quae modo commemoravi, totus omnino poematis

*Longa tibi exsilia, et vastum maris aequor arandum;
Et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arca
Inter opima virum, leni fluit agmine Thybris.
Hic res laetae, regnumque et regia coniux
Parta tibi.*

Primum igitur sic statuo, Romam in Aeneide actionis esse et initium et medium et finem tum proximum, tum etiam remotum. Ecquis enim dubitet actionis initium esse Romanum, quum Aeneam videat Italiam petere, ad urbemque condendam fato impelli? Quod sane fatum eiusmodi esse, placet, priusquam ulterius progrediamur, patefacere. In libro II, qui totus actionis exordium est, primum ea stella delapsa de caelo, quum ab Anchisa et uxore detinebatur Aeneas, ne in acie mortem oppeteret, viam dicitur signavisse, cui se cum comitatu troianus Heros committere deberet. Sed istud subobscurae; multo etiam clarius fatum ostendit Creusa, obviam Aeneae coniugi procedens sub finem eiusdem libri:

In III autem libro Apollo ab Ortygia rego ac sacerdote Anio oraculum edere rogatus, hoc modo cecinit:

*Dardanidae duri, quae vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere loeto
Accipiel reduces? antiquam exquirite matrem.
Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris.*

Iam haec prima tellus ac mater antiqua nonne Italia est, unde erat Dardanus, Troiae conditor, oriundus, quemadmodum multis in locis significatur? At quum hoc Phoebi oraculum perperam esset Anchises interpretatus, et ad Cretam classis pervenisset, Penates ipsi Troiani, itineris comites atque adiutores sese in somno Aeneae ostendunt et Apollinis oracula explicant:

*Mutandae sedes; non haec tibi littora suasit
Delius, aut Oretae iussit considere Apollo.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebae:
Hae nobis propriae sedes.*

Idem praedixerat Cassandra, Priami filia; idem nunc et harpyia Celaeno, et Buthroti rex Helenus renuntiant.

Verum in libro VI, perlucida Aeneidis gemma, tum Cumana Sibylla, tum pater Anchises clarissima voce profitentur, Romae conditionem Aeneae atque eius socii fato esse constitutam:

*In regna Lavinii
Dardanidae venient.*

Praeterea Laviniam coniugem longaevo Silvium educet:

Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba.

Adnectuntur his landes posteriorum Aeneae, donec ad Romulum horum filium pervenimus et ad urbem eius opera conditam:

*En, huius, nate, auspiciis illa inclita Roma
Imperium terris, animos aequabit olympo,
Septemque una sibi muro circumdabit arcis....
Huc geminas nunc flecte acies, hanc aspice gentem
Romanos tuos.*

Sed non modo actionis initium, verum et medium etiam et finis, diximus, Roma est. Medium profecto esse intelligemus, si duo maxima actionis impedimenta, longos videlicet per mare ac terras errores et bellum adversus Latinos, consideremus a Junonis odio nasci in futuros Carthaginis eversores. Iuno enim, quae a Poenis prae aliis omnibus sanctissima religione coleretur, efficere conatur ut in universo terrarum orbe Carthago dominetur; attamen quum audierit progeniem a Troiano sanguine futuram,

*Tyrris olim quae veteret arcis;
Hinc populum late regem belloque superbum
Venturum excidio Libyae*

haec de causa in Aeneam et socios infensissima, eos iactatos aequore toto, arcet longe Latium. Eadem Iuno, rabiem et invidiam spirans, Turnum et Rutulos ad bellum contra Troianos excitat. Iunonem denique ubique videmus sua Deorum Reginae potestate armatam, quasi manu fortissima contra Aeneam et Troianos nitentem, hisque res omnes adversas atque ipsum interitum molientem. Quare si tota Aeneidis actio iter est quod Romam tendit, nonne dicemus Romam conditam finem actionis esse proximum, Romanum vero ad summum gloriae fastigium evectam finem remotum, quum praesertim Romani populi gloriam tum aliis in locis, tum praecipue in Anchisea vaticinio et in clypei descriptione annuntiari ac praedicti videamus?

(Ad proximum numerum).

Dertusae in Hispania.

ROBERTUS CAYUELA S. I.

DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS

DE HISTORIA

(Cfr. num. VIII)

Thomas Vallaurius.

Hic strenuus professor, qui quinquaginta et amplius annos latinas litteras in archigymnasio Taurinensi tradidit, historici quoque lauream iure promeruit. Historiam enim exaravit *De poesi apud Subalpinos*, deinde *De cirorum praestantissimorum coetibus*; denique *De archigymnasio Taurinensi*. Quo nomine in primis laudabilis posteritati traditur. Eius tamen dictio, quae in operibus latino sermone exaratis, purior fluit atque elegans, italice cultior esse, quam res postulet, videtur, atque apparitione stilo incedere oratorie magis quam vere.

Thomas Chiuso sacerdos.

Acerrimus ingenium ad religionem convertit Chiusus, domo Buttigiera apud Astenses, doctor theologus, singulari consilio atque historicae veritatis studio praeclarus. Verissimis enim coloribus et optima dicendi forma, res religiosas omnes depingit, et memorabiles quoque populorum conversiones prosequitur quibus patres nostri interfuerunt, illa potissimum aetate, quae a Gallico tumultu sub exitum saeculi decimi octavi usque ad nostra tempora intercedit.

Eius dictio est facilis et identidem elegans, et quisque rerum religiosarum spectator plurima hinc hauriret, quibus ei liceat de illius temporis ratione, de viris, moribusque verissime iudicare.

Dominicus Promis.

Taurinensis atque eximus antiquitatis studiosus mirum in modum ad illam historiae partem se contulit, qua posset Urbem referre Romanorum tempore opibus florentem atque imperio. Totus fuit in illis. Eius autem opera sapientia nitidior atque elegantior omnibus maxime adprobata, et omni tempore, virorum sapientium, qui recte de vetustissimis Taurinensibus intelligere student, manibus teretur.

Alii alia ratione ad historias conscribendas animum impulerunt, nec parvam sibi laudem compararunt, inter quos Ferdinandus Pinelli, regii exercitus ductor, qui accerrime de re militari Subalpinorum scripsit; Antonius Gallenga, patre subalpino Placentiae natus, qui res nostras enarravit; denique Angelus Brofferio, qui nimio libertatis studio perculsus, res gestas a gracie evulgavit, qui nostra aetate a barbarorum servitute in libertatem se vindicaverant. Ut gentem subalpinam ad meliorem erigeret, atque novam libertatis auram captaret, historiam de Subalpinis in medium protulit. Hinc nefariae coniurationes, tribunicii terrores, populorum convicia, seditiones et turbae, ut libertatem consequerentur.

In istis vero historiis conscribendis non tam historicci, quam oratoris partes egit, ut milesiam potius fabulam, quam germanam historiam condidisse videatur.

Quod quidem testantur imanes excursus, declamatoriae conciones et nimium stadium in rebellium virtutibus extollendis; postremo stilos floridus, ornatus, frequentibus pravisque sententiis distinctus.

SURALPINUS.

HORAE SUBSECIVAE

SCULPTORIS OPUS.

*Informem Michaël, dictus et Angelus,
molem marmoream forte coemerat;
mons Carrarius alvo
pandus gesserat improbum.*

*Visa mole rudi: * Mox eris Angelus —
Inquit sculptor —; abi, quod radiantia
condis Caelitis ora,
velum funebre saxeum!.*

*En scalprum lapidem mordet; et ictibus,
ductis assidue, malleus instrepit;
surgit forma, resecto
vlli tegmine, fulgida.*

*Emergit, nitida purior aethere,
frons; ardent oculi, fulgoris aenull;
arreditique (magistri
ars est tantu) precentibus.*

*Crescit caesaries, quae per eburneum
collum perque humeros mollier effluit;
duplex nascitur aea,
auras findere callida.*

*Binis, cum reliquo corpore, brachis,
binis et pedibus fit via libera;
Incompositaque tandem
moles exit in Angelum. —*

*Audi, qui legis haec: mens tua marmori
per est; huicque suam Conditor inclytam
vult insculpere formam
ac virtutis imaginem.*

*Quod molitur opus nobilis Artifex.
demens, ne prohibe; non tibi sayea
mens, sed cerea, quae so,
insit, subdit legibus.*

*Scalpri fer patiens vulnera: vulnera
quovis alma salus prodit; et osulum
menti pandit, alas
unde ad sidera dirigit.*

*Hanc o effigiem, Numen amabile,
In me sculpe tuam; quam neque Tartari
nec vis ulla tyranni
expungat furiosior.*

F. X. REISS.

TOCI

Dantes, vates ille Florentinus, aliquando Veronae libralitate Canis de la Scala Principis sustentatus est, qui albus albus quedam Florentinum signoblem, inlectum et nulli rei, praeterquam locis et ritibus movendis idoneum. Ita per Canem ad magnas divitias pervenirebat. Quia hunc et bellum insulsam Dantes contumeleret: — Quonodo — inquit ille — tu quum habeas doctissimos, pauper tamen et inope es; ego, stultus et indectus, sum dives? — Tum Dantes: — Quando repereo dominum milia et moribus sonum venti tuis, is similiter me dirabit.

Diviterat aliquando viator quidam ad morticinam. Apposita est ei corna, omni ex parte dilatata; vimini item dilatissimum; omnia denique administrata parvissima. Postquam ictus coenavit, inquit ad se vocari medicos ad morticinam capiendum. Quia respondens capio: — Equis in vicchio maxime agresti medicum requiri? — Tui ille: — Nonne, o bone, te ipsum ignoras? Quis sit ictus mortis operis par, medici pretium accipe, non capio; quando ut negrosse me pavisti? —

NAPOLEONIS I. SUPREMI DIES

Paulus Fermaux, gallicae historiae studiosus investigator, supremum morbum, quo Napoleon I extinctus est, accurate puper descripsit.

Ab eo scriptum accepimus, captivum imperatorem iamdudum aegrotare coepisse; verum, exente anno M DCCCXX, morbum celerius progrederi visum esse et ingavescere. Mense Novembri, dolores ventriculi, quos ante per intervalla Napoleon experiebatur, continui evaserunt ac violenti; apparuit tibiarum tumefactio, subiitque tussis sicca, quae viscera torquebat. Ineunte mense Decembri, quum aegrotus rheda circumvectus domum esset reversus, repente syncopem passus est: livebant genae, labra, gingivae et ungues; manus et tibiae, quae perpetuo frigebant, cereum induxerant pallorem. «Deficit – ita saepe aegrotus – deficit in lampada oleum!».

Mense Februario M DCCCXXI, comes de Montholon, qui cum imperatore colloquebatur, hunc advertit subinde, quasi delirum, aliena dicentem. Eum haud raro memoria fallebat; saepe etiam querebatur de acutis in latere doloribus, quasi cultrum in lumbos infigeretur. Ventriculus iam nihil cibi retinens, vix pultem carneam patiebatur. Die XVII mens. Martii tandem, quum sanguineum grumum expusisset, lecto Napoleon decumbere coepit.

Antonmarchi medicus, quem avunculus Cardinalis Fesch et mater Laetitia ad aegrotum miserant, officii sui immemor, raro aderat Longwoodii, morbumque imperatoris incredibili animi levitate curabat, nullo porrecto pharmaco, praeter vomitorium. Quo vix sumpto, altos Napoleon clamores prae dolore edens in solo se volutavit, imperavitque ne medicus ille, quem sicarium appellavit, unquam post hac in suum veniret conspectum. Tum arcessitus est Arnott doctor, chirurgus militaris. Qui, ubi primum Napoleonem inspexit, in ea cubiculi caligine quam aegrotus poscebat, gravitatem mali et ipse negavit: in eaque opinione etiam postero remansit die, quo infirmum luce affusum visitavit; adeoque simplex praescripsit remedium purgativum.

Bertrandus tamen et Montholoni, gravius aliquid suspicantes, Antonmarchium coegerunt ut Napoleonem iterum visitaret. Uterque tamen medicus, usque ad diem XI mens. Aprilis, affirmare perstitit, nihil in morbo reperiri quod grave periculum portenderet. Quin etiam Arnottius, facta aegroti inspectione, declaravit, sanum esse hepar, vel ad summum levi aestu laborare.

Dies ille XI mens. Aprilis diesque posterus horribiles fuerunt. Fugerat omnino somnus, sudor copiosus et continuus e corpore aegroti erumperebat, vomitusque mucosus aliud alium sine interruptione

sequebatur. Napoleon tamen, vim morbi superans, e lecto surrexit die XIII, suumque Montholoni scribae dictavit testamentum. Die XV, nova accidit crisis; qua licet saeviente, Napoleon ultimas suas voluntates scribere iterum voluit manu propria; siveque per quinque saltem horas paginas decem aut duodecim exaravit. Tum vero Arnottius doctor agnovit collapsione in aegroto generalem; corpus gelu rigebat, sopor mortifer successit, quo subinde discusso, lamenta infirmus edebat, seque suffocari querebatur.

Morbus per plures dies modo gravior, modo aliquanto levior apparebat: quo tempore, medici incerti haerebant. Die XXV, etsi aegrotus convulsionibus agitabatur nauseamque et amaritudinem felleam in ore sentiebat, iterum vim morbo inferens, permultos suo testamento addidit codicillos. Die XXVII, hora sexta matutina, quum vix e sensuum ac virium prostratione exiisset, testamentum suum obsignavit. Inde allatis tribus scriniolis, monilia sua et insignia in iis contenta recensuit: quo in actu saepe materiam evomuit nigrantem, liquori cafeino densiori non absimilem.

– « Vehementer lassus sum – inquit – verum haec mihi perficienda sunt, parumque temporis superest, uti sentio ».

Tum Arnottio auream dedit nicotiano pulvere aptam pyxidem, in qua multo labore, cultello utens exiguo, litteram N incidit.

Haec inter, vires infirmi constanter minuebantur.

– « Da mihi – ita famulum Marchand compellabat – vini poculum ». Quod ubi ebiberat, manum ad latus sinistrum ferens: « Novacula – gemuit – viscera mihi dilaniat! ».

Horis post meridiem, binas ille litteras dictavit, Labouillère dynastae et nummulario Lafitte remittendas. Chartas deinde suas in opercula misit, quibus varia nomina inscrisit; quumque defatigatus acquiesset, mox surgens, hanc dictavit epistolam ad insulae praefectum: « Imperator Napoleon mortuus est die... post diuturnum et cruciabilem morbum: de qua re certiore te facio. Ultimas ipsius voluntates, si id optas, poteris a me rescire. Rogo ut tecum communices, quae Anglia statuerit de corpore Napoleonis in Europam transferendo, deque comitibus et domesticis defuncti ». Huic epistolae – ita imperator Montholoni – nomen tuum appones.

Die XXVIII eiusdem mensis Aprilis, quum infirmus in suo cubiculo respirare vix posset, in conclave scriptorium ferri voluit. Ibi horrendam subiit crisim: materiam evomebat nigrantem, lineis intersectam sanguineis. Commotus ipse hisce sui stomachi tam insolitis doloribus, iussit suum, post mortem, cadaver a medicis aperiri, filioque, cautionis ergo, nuntiari quid sectio revelaret. Tum denique Arnottius medicus praefecto Hudsonio Lowe suos timores palam decla-



Napoleonis supremi dies (VELA sculpsit).

ravit; statimque quotquot erant in insula medici (sero tamen) iuvando aegroto propositi fuerunt.

Die XXX, Napoleon, qui nocte praecedenti inter aestum violentiae febris rationem dictaverat, qua res bellicae in Gallia ordinarentur, mentis iam desit esse compos. Sub medianum nempe noctem, frigore subito correptus, suffocari visus est, suspensis propemodum cordis pulsationibus. Tum sacerdos Vignali, qui diebus anterioribus diu cum aegroto collocutus fuerat, preces morientium recitare coepit. Suprema tamen hora nondum advenerat. Quinque praeterea dies moribundo supererant, inter mentis defectum et delirium transigendi.

Die I Maii, nec Arnottium infirmus agnoscebat nec Antonmarchium. Aegre respirabat, raucum emitens sonum quasi animam iamiam acturus. Sub ve speram, quum centies octies cor pulsaret, haec famulo Marchand dictavit: « Filio meo aedes meas Aiaccii sitas cum suis adiacentibus lego; item duas domus et hortum prope Salines: quae bona Aiacciana censem reddere possunt libellarum fere quinquaginta millionum ».

Et Marchandius quidem scribere se fingebat; namque hae possessiones nusquam existebant.

Die III Maii, proferre iam verba nequibat aegrotus, nisi maxima cum difficultate; noctem, quae diem

iv a v dividebat, delirus exegit. Hora n matutina aegre in has erupit voces, quae ultimae morientis fuerunt: « Francia! Exercitus! » Atque eodem momento, convulsione agitatus, e lecto desiliit. Vires tum explicuit in decuplum auctas; nam Montholoni adstantem, ac detinere nitentem, in humum deiecit, captumque per fauces paene suffocavit. Quem quidem, non sine magno nisu, alter adstantium, Archambault, e manibus delirantis liberavit.

Aegrotus iterum in lecto repositus, hora v matutina novos subiit vomendi accessus, ac deglutiendi facultatem amisit. Oculi mox vitrei facti sunt, maxilla inferior prolapsa est, muscularum vis et tenacitas cessavit, respiratio stertoris instar ac morientis resonabat. Per totum hunc diem ita iaceuit immotus, pendente e lecto manu dextra.

Hora vespertina v cum dodrante, moribundus longum dedit subsultum, levi spuma canduerunt eius labra, eiusque oculi late patuerunt, pupillis aliquantum distortis....

Sic domitrix omnium Mors Napoleonis vitam extinxit.

F. R.

ACTA PONTIFICIA

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X litterae encycliche de modernistarum doctrinis.

(Cfr. num. viii).

Modernismi vita et propagatio.

Cui propagando utinam minus studii et curarum impenderent! Sed eorum tanta est alacritas, adeo indefessus labor, ut plane pigate tantas insumi vires ad Ecclesiae perniciem, quae, si recte adhibitae, summo forent adiumento. — Gemina vero ad fallendos animos utuntur arte; primum enim complanare quae obstant nituntur, tum autem quae pro sint studiosissime perquirunt atque impigre patientissime que adhibent. — Tria sunt potissimum quae suis illi conatibus adversari sentiunt: scholastica philosophandi methodus, Patrum auctoritas et traditio, magisterium ecclesiasticum. Contra haec acerrima illorum pugna. Idecirco philosophiam ac theologiam scholasticam derident passim atque contemnunt. Sive id ex ignoratione faciant sive ex metu, sive potius ex utraque causa, certum est studium novarum rerum cum odio scholasticae methodi coniungi semper; nullumque est indicium manifestius quod quis modernismi doctrinis favere incipiat, quam quum incipit scolasticam horrere methodum. Meminerint modernistae ac modernistarum studiosi damnationem, qua Pius IX censuit reprobandam propositionem quae diceret (1): *Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressu minime congruunt*. Traditionis vero vim et naturam callidissime pervertere elaborant, ut illius monumentum ac pondus elidant. Stabit tamen semper catholicis auctoritas Nicaenae Synodi II,

(1) Syll. prop. 18.

quae damnavit eos, qui audent... secundum scelestos haereticos ecclesiasticas traditiones spernere et novitatem quamlibet excogitare... aut excogitare prave aut astute ad subvertendum quidquam ex legitimis traditionibus Ecclesiae. Stabit Synodi Constantinopolitanae IV professio: *Igitur regulas, quae sanctae catholicae et apostolicae Ecclesiae tam a sanctis famosissimis Apostolis, quam ab orthodoxorum universalibus neconon et localibus Concilis vel etiam a quolibet deilioque Patre ac magistro Ecclesiae traditae sunt, servare ac custodire profitemur*. Unde Romani Pontifices Pius IV itemque huius nominis IX in professione fidei haec quoque addi voluerunt: *Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes firmissime admitto et amplector*. — Nec secus quam de Traditione, iudicant modernistae de sanctissimis Ecclesiae Patribus. Eos temeritate summa traducunt vulgo ut omni quidem cultu dignissimos, ast in re critica et historica ignorantiae summae, quae, nisi ab aetate qua vixerunt, excusationem non habeat. — Denique ipsius ecclesiastici magisterii auctoritatem toto studio minuere atque infirmare conantur, tum eius originem, natum, iura sacrilegio pervertendo, tum contra illam adversariorum calumnias libere ingeminando. Valent enim de modernistarum grege, quae moerore summo Decessor Noster scribebat: *Ut mysticam Sponsam Christi, qui lux vera est, in contemptum et invidiam vocarent tenebrarum filii consuevere in vulgo eam recordi calumnia impetrere, et, conversa rerum nominunque ratione et vi, compellare obscuritatis amicam, altricem ignorantiae, scientiarum lumini et progressui infensam* (1). — Quae cum sint ita, Venerabiles Fratres, mirum non est, si catholicos homines, qui strenue pro Ecclesia decent, summa malevolentia et labore modernistarum impetunt. Nullum est iniuriarum genus, quo illos non laudent: sed ignorantiae passim pervicaciaeque accusant. Quod si refellentium eruditio et vim pertimescant: efficaciam derogant coniurato silentio. Quae quidem agendi ratio cum catholicis eo plus habet invidiae, quod, eodem tempore nulloque modo adhibito, perpetuis laudibus evehunt quotquot cum ipsis consentiunt; horum libros nova undique spirantes grandi plausu exciplunt ac suscipiunt; quo quis audenterius vetera evertit, traditionem et magisterium ecclesiasticum respuit, eo sapientiorem praedicant; denique, quod quisque bonus horreat, si quem Ecclesia damnatione persecuerit, hunc, facto agmine, non solum palam et copiosissime laudant, sed ut veritatis martyrem pene venerantur. — Toto hoc, tum laudationum tum improprietorum strepitu, percussae ac turbatae iuniorum mentes, hinc ne ignorantes audiunt inde ut sapientes videantur, cogente intus curiositate ac superbia, dant victas saepe manus ac modernismo se dedunt.

Sed iam ad artifia haec pertinent, quibus modernistae merces suas vendunt. Qui enim non moluntur ut asseclarum numerum augent? In sacris Seminariis, in Universitatibus studiorum magisteria aucupantur, quae sensim in pestilentiae cathedras vertunt. Doctrinas suas, etsi forte implicita, in templis ad concionem dicentes inculcant; apertius in congressibus enunciant; in socialibus institutis intrudunt atque extollunt. Libros, ephemrides, commentaria suo vel alieno nomine edunt. Unus aliquando idemque scriptor multiplici nomine uititur, ut simulata auctorum multitudine incerti decipientur. Brevi, actione, verbis, proelo nihil non tentant, ut eos febri quadam phreneticos dicerent. — Haec autem omnia quo fructu? Iuvenes magno numero deflemus egregiae quidem illos spei, quiq Ecclesiae utilitatibus optimam navarent operam, a recto tramite deflexisse. Plurimos

(1) Motu pr. « Ut mysticam » 14 Martii 1891.

etiam dolemus, qui, quamvis non eo processerint, tamen corrupto quasi aere hausto, laxius admodum cogitare, eloqui, scribere consuescant quam catholicos decet. Sunt hi de laicorum coetu, sunt etiam de sacerdotum numero; nec, quod minus fuisse expectandum, in ipsis religiosorum familiae desiderantur. Rem biblicam ad modernistarum leges tractant. In consribendis historiis, specie adserenda veritatis, quidquid Ecclesiae maculam videtur aspergere, id, manifesta quadam voluptate, in lucem diligentissime ponunt. Sacras populares traditiones, apriorismo quodam ducti, diligere omni ope conantur. Sacras Reliquias vetustate commendatas despectui habent. Vano scilicet desiderio feruntur ut mundus de ipsis loquatur; quod futurum non autumant si ea tantum dicant, quae semper quaeve ab omnibus sunt dicta. Inter ea suadent forte sibi obsequium se praestare Deo et Ecclesiae: reapse tamen offendunt gravissime, non suo tantum ipsis opere, quantum ex mente qua ducuntur, et quia perutilem operam modernistarum ausibus conferunt.

Contra modernismum remedia.

Huic tantorum errorum agmini clam aperteque invadenti Leo XIII decessor Noster fel. rec., praesertim in re biblica, occurrere fortiter dicto actaque conatus est. Sed modernistae, ut iam vidimus, non his facile terrentur armis: observantiam demissionemque animi affectantes summam, verba Pontificis Maximi in sua partes detorserunt, actus in alios quoslibet transtulere. Sic malum robustius in dies factum. Quamobrem, Venerabiles Fratres, moras diutius non interponere decretem est, atque efficaciora moliri. — Vos tamen oramus et obsecramus, ne in re tam gravi vigilantiam, diligentiam, fortitudinem vestram desiderari vel minimum patiamini. Quod vero a vobis petimus et exspectamus, id ipsum et petimus aequae et expectamus a ceteris animarum pastorebus, ab educatoribus et magistris sacrae iuventutis, imprimis autem a summis religiosarum familiarium magistris.

(Sequuntur iussa, quae alias – an. X, n. X – ad amissum retulimus).

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii Tridentinis decretis interpretandis.

Circa interpretationem decreti « Ne temere » de sponsalibus et matrimonio (1) nova soluta dubia:

I. Matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis non servata forma a decreto *Ne temere* statuta invalidum est.

II. Art. XI § 2 eiusdem decreti sub nomine acatholicon comprehenduntur etiam schismatici et haeretici rituum orientalium.

III. Exceptio per Const. *Provida* (2) in Germania inducta valet tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus, facto verbo cum SSmo.

IV. Ordinarii et parochi nedum explicite sed etiam implicite invitati ac rogati, dummodo tamen neque vi neque metu gravi constricti requireant excipiuntque contrahentium consensum, valide matrimonii assistere possunt.

V. Ad licitam matrimonii celebrationem habenda est ratio dumtaxat monstruosa commorationis.

(1) Cfr. Vox Urbis an. X, n. IX.

(2) Cfr. Vox Urbis an. IX, n. VII.

VI. Sponsalia, praeterquam coram Ordinario aut parocho, celebrari non valent coram ab alterntro delegato.

VII. Sponsalia celebrari possunt coram quolibet Ordinario aut parocho, dummodo intra limites territorii eiusdem Ordinarii vel parochi.

(Ex decr. d. xxviii mens. Martii mcccix).

Ex Congregatione Sacrorum Rituum, Indulgientiarum et SS. Reliquiarum.

URBIS ET ORBIS.

Dubia de cumulatione indulgentiarum in recitatione Rosarii Mariani.

Huic Sacrae Congregationi Indulgientiis Sacrisque reliquis praeposita sequentia dubia solvenda sunt exhibita.

I. An Christifideles habentes praे manibus aliquam ex Coronis benedictis tum a Patribus Ordinis Praedicatorum, tum a PP. Crucigeris, vel a Sacerdotibus ad id facultate pollutibus, dum recitant Rosarium Marianum cumulare valent Indulgientias quae recitatione SSmi Rosarii sunt adnexae cum aliis, quae a PP. Crucigeris nomen habent?

II. An pariter cumulentur indulgentiae, quando Christifideles manu gestantes Coronam ditatam Indulgientiis PP. Crucigerorum, recitant orationem Dominicam vel Angelicam Salutationem, adnexam aliqui orationi vel pio exercitio peculiaribus Indulgientiis iam ditato?

Et Sacra Congregatio, re mature persensa, propositis dubiis respondendum mandavit negative ad utrumque: sed supplicandum SSmo ut benigne concedere dignetur Indulgientias a PP. Crucigeris nuncupatas cumulari cum Indulgientiis recitatione SSmi Rosarii iam tributis in ipsa tantum Rosarii recitatione.

De quibus facta relatione SSmo D. N. Pio PP. X in audiencia habita die 12 Iunii 1907 ab infrascripto Cardinali Praefecto, idem SSmus dubiorum resolutionem ratam habuit et confirmavit; simulque de speciali gratia petitam Indulgientiarum cumulationem in Mariani dumtaxat Rosarii recitatione clementer est elargitus, dummodo Coronae utramque benedictionem acceperint. Contrariis non obstantibus qui buscumque.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis die et anno uti supra.

L. ♦ S.

S. Card. CRETONI, Praef.

† D. PANICI, Arch. Laodicen., Secret.

— Confessio peragenda ad lucrandam Indulgientiam, si haec pluries eadem die sit concessa, tribus diebus immediate praecedentibus; sin vero semel in die sit concessa, duobus tantum integris diebus anticipari potest. (Ex decr. d. xi mens. Martii mcccix).

DIARIUM VATICANUM

(Die xxi mens. Iulii – d. xx mens. Septembr. mcccix).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Iulius de Wagner, Comes, legatus extraordinarius et minister cum omni potestate Monachensis principatus apud Apostolicam Sedem; Raphael Errázuris Urmeneta eodem numero fungens pro Chilensi civitate; Franciscus Rossi Stockalper; per antistes, a secretis Apostolicae Legionis Vindobonensis;

Iosephus Biederlach S. I., urbani collegii Germanici-Hungarici moderator, cum suis alumnis; Bonaventura Cerretti, Apostolicae Legationis Washingtoniensis auditor; Sim Tagle docto, a secretis Chilensis legationis apud Apostolicam Sedem; Bruno Chaves, legatus extraordinarius atque minister cum omni potestate civitatis Brasiliensis apud Apostolicam Sedem; senes, ad centum numerum, Romae a Parvis Sororibus Pauperum hospitio recepti; iuvenes novae sodalitatis Urbanae, cui titulus « Religio et Labor »; Urbani Principes Lancelotti, Justiniani-Bandini et Rospigliosi eorumque familia; Hernestus Schoberg-Roth-Schonberg dynasta; ordo canoniconum Urbanae basilicae S. Mariae Trans Tiberim cum Purpurato Patre Iacobo Gibbons, illius ecclesiae titulari; Eugenius Mayer, Praepositus Generalis Congregationis Missionariorum SS. Cordis Iesu cum consiliariis suis; Georgius de Guttemberg dynasta, legatus extraordinarius et minister cum omni potestate Bavariensis civitatis apud Apostolicam Sedem; Henricus Perez, Procurator generalis pro Hispania Ord. Eremitarum S. Augustini; Alexander Capranica del Grillo marchio; Gonzalus de Quesada, Cubanus minister Washingtoni; Ioannes Strozzi, Procurator generalis Canonorum regularium Lateranensis SS. Salvatoris; Maurus Serafini, Abbas Generalis Ordinis S. Benedicti Cassinensis Prima Obseruantiae; Michael Angelus Bovieri antistes, Apostolicae Lusitaniae Legationis Auditor; Angelus De Mattia, Vicarius Generalis Tertii Ordinis S. Francisci, cum consilio Ordinis sui; Pius Mayer, Prior Generalis Ord. Carmelitarum antiquae observantiae pariter cum consilio Ordinis sui; I. E. Otero Nolasco, praeses coetus legatorum legibus ferendis in Dominicana civitate; Ioannes Antonius Duenas, canonicus, litteras gratulatorias afferens S. Salvatoris rei publicae praesidis; Consilium maximum Societatis e Catholicis Italorum iuvenibus.

Praeterea ad Pontificem peregre advenerunt omnia et stipem ob Eius sacerdotale iubileum offerentes:

Mense Iulio exeunte, cives ex suburbano Castromenii oppido ab eminentissimo v. Antonio Agliardi, Albanensi episcopo, coram adducti;

Mense Augusto, cives ex dioecesi Prenestina cum eminentissimo v. Vincentio Vannutelli, sedis illius suburbicariae episcopo; Americani cives tum ex dioecesi Novarcen. ab excellen- tissimo v. Thoma Kennedy, episcopo tit. Adrianopolitanus et Urbani collegii septentrionalis Americae rectore adducti, tum ex Neboracensi dioecesi cum episcopo suo Ioanne M. Farley; Teutonum manus in Americis domicilium habentium; cives e Sardinia insula omni cum episcopis suis; Teutonum manus e Terra Sancta reducunt;

Mense Septembri Lituani cives; Gallici cives ab excellen- tissimo v. Francisco Iosepho Bonnefoy, archiepiscopo Aquen., et Leone Harmel equite torquato, adducti; cives pariter Gallici ex dioecesibus Rothomagen. et Tolosan. cum suis episcopis; Melitenses cives item cum episcopis suis; Veneti cives cum Purpuratis Patribus Venetorum Patriarcha et Veronensi episcopo aliisque Venetae regionis episcopis thronum ex aurato ligno insculptu Pontifici offerentes; catholici iuvenes ex universa Italia aureum calicem ad iubilare sacrificium litandum, aere inter iuvenes universi orbis collato, devotionis ergo Pio PP. X donantes.

Pontificiae electiones.

Excellentissimus v. Dominicus Taccone Gallucci, episcopus Nicotrien. et Tropien. ad sedem tit. metropolitanam Constantien. promovet et S. Congregationi Conciliu index addicitur.

— Amandus Bahlmann O. F. M. episc. tit. Argeus dicitur.

— Henricus Sibilia, Hispanicae Legationis Apostolicae auditor, archiepiscopus Siden. creatur atque Internuntius Apostolicus mittitur apud Chilensem civitatem.

— Patritius Patrizi-Montoro, Marchio, signifer S. R. Ecclesiae renunciatur.

— Excellentissimus vir Iosephus Padula, episcopus Bonvin., ad dioecesim Abellinum, et Bartholomaeus Mirra, episcopus tit. Hamaten. ad dioec. Mandelen. transferuntur.

— P. Aloisius a Tabia O. F. M. Capulatorm, Index tum S. Congregationis Concilii, tum S. Congregationis de Propaganda Fide, episcopatu Urbaniae et S. Angeli in Vado insinuitur.

— R. v. Dantes Munerati inter iudices S. C. de Propaganda Fide adlegitur.

— R. v. Hector Fronsi, Vicarius generalis Senogallien., episcopatu Callien. et Pergulan. augetur.

Vita functi viri clariores.

Die xxii mens. Iulii, Romae, diurno morbo confectus, eminentissimus vir Carolus Nocella, pietate singulari et latinarum litterarum doctrina insignis. Natus erat in Urbe an. MDCCXXVI.

Varia.

Die ix mens. Augusti in Xystino sacello « Pontificia capella » habetur, quinta anniversaria die recurrente a Pio PP. X coronato.

— Die xviii mens. Septembris in Vaticana Basilica SS. D. N. Iubilare sui sacerdotii Sacrificium Deo offert, adstantibus Venetis peregrinis invenibusque ex omni Italia Romanam profectis.

ANNALES

Turcicae reformationes.

Constitutio an. MDCCCLXXXVI a Turcarum Imperatore ex improviso iterum concessa, de qua in postrema civilium eventuum nostra recensione mentionem fecimus, haud facile atque sine aperta rebellione restitui posse videbatur; neque res aliter accidisse cuique facta sine partium studio consideranti quidem appareat. Si enim ea a Turcis, quos dicunt, iuvenibus die xxii mens. Iulii Monastir in urbe magnis clamoribus expostulata est, et insequentie die ab Imperatore edicta, ecquid dubii Caesarem ab eventibus praecepites euntibus consilium coepisse atque opportune eos dirigere voluisse potiusquam ab iisdem abripi? Quidquid fuerit, nemo adhuc ne affirmare quidem potest huic diluculo dies laetos successuros: prudentia enim et rerum usus inducunt ut exspectatione, benevolentia licet, futura homines prosequantur. Id profecto ex parte nostra egemus; quae interim fiant fideli calamo adnotantes.

Atqui in primis videmus Said illum Pacha, qui novorum temporum quasi signifer salutabatur atque primis gubernii munieribus propositum fuerat, suo officio se abdicasse, iis auctoribus qui tam eum ad sublevandum concurrerant; videmus amicitiam inter Grae-


cos et Bulgaros in Macedonia non restitui; quinimo ne inter Turcas quidem ipsos et Bulgaros valere, nolentibus illis libertatis iura Bulgariae recognoscere. Notum enim est postremis hisce diebus bulgaro legato Geschow impediisse quominus cum ceteris legationum principibus apud exterarum rerum Turicum praefectum coenaret.

Contra, administrorum collegium proposita sua aperuit eaque lata atque bonis promissionibus redundantia; quin etiam Gallico consiliario reformationes circa administrandam publicam pecuniam atque Anglo rem navalem curandam dicitant concreditur; quod quidem firmam voluntatem severe agendi demonstrat.



Mauritana res.

Sed Mauritana quoque terra novis rebus nos citat. Abd-El-Azis enim regis prima agmina, quae in itinere ad Marrakesch felici exitu in dies procedebant, quum ad El Quelaa pervenerunt gravioriter ab hostibus oppugnata, fusa fugataque sunt, dum milites plures ex improviso ad Afidum transiunt. Fama vagatur ipsum regem — qui Settat cum paucis sibi fidis configerat — captivum factum; eaque vox eo magis efficit ut Afidii fortuna apud populum brevi converteretur atque ideo hic tum in urbe capite tum in septem portibus rex renuntiatur. Qui omni nititur ope exteris gentes certiores facere, sese sollemniter Algecirianum foedus recognoscere; quinimo aes alienum imperii sibi sumpturum atque dissoluturum... Quid igitur? Aliquo tempore transacto neque Azizio ullo modo, ne verbis quidem, contradicente, legatus Galliae atque Hispaniae inter se convenerunt et postulata statuerunt Afidio defenda de exterorum civium in Mauritania libertate deque interna imperii quiete. Non enim promissis a novo imperatore sponte factis contenti, alia ultra ab eo petierunt, inter quae ut bellum, quod sanctum appellatum est, auctoritate sua ipse infitetur.



Ex Perside.

Interea ex Perside accepimus regem illum quasi concilium civitatis convocasse quod imperium rectorum sit donec nova comitia fiant. Non desunt tamen qui timeant ut ea brevi indicantur atque Concilium hoc ad regimen libertatis substituendum fuisset destinatum.



Regalia itinera et colloquia.

Aestivi menses praeter ceteros regis aut administratorum itineribus et colloquiis iam distinguuntur. Neque hoc anno peculiaris ea nota deficit. Quum omnia — longum enim est — non recenseamus, mentionem tamen omittere non possumus occasumus

quam Eduardus, Anglorum rex, et Guilelmus, Germanorum Caesar, habuerunt; inde enim confirmata duorum populorum amicitia exiit; quod non sine magno gaudio qui pacem avemus vidimus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Anglia, lege in senum operariorum commodum approbata, coetus sessiones ad Octobrem mensim dilatae.

In Batavia expositae publicae pecuniae difficultates atque rationes facile eas superandi.


In Belgica tum in populi legatorum tum in se- natorum coetu Congi imperii adnexio decreta.

In Dania administratorum collegium, cui Cristensen doctor praearat, munere se abdicavit.

In Lusitania ut conventio de regalibus expensis inter oratores populi facilius fieri possit, coetus ses- siones intermissae.

In Serbia rationes accepti et expensi in disceptationem adductae; foedus de commerciis cum Austro- rum Hungarorumque imperio ratum habitum.

In Suedia nova comitia indicta.



PER ORBEM

Die xxv mens. Iulii MDCCCVIII Telki, Russorum urbs, incendio vastatur.

— d. xxvi Guachalla, praeses Bolivianae reipublicae electus, La Paz in urbe moritur.

— d. xxvii Londini conventus de pace procuranda inaugurator.

— d. xxviii Graecorum rex Venetas privatus tenet.

— d. xxx Vigneux in oppido inter milites et opifices a laboribus ex condicto recedentes dimicaciones fiunt, unde plures vulnerantur, nonnulli mortem obeunt.

— d. xxxi Nepalii rex, Romam praetergressus, Neapolim tenet.

Die ii mens. Augusti Gallicae reipublicae praeses Fallières, per boreales civitates itinere expleto, in Galliam revertitur.

— d. iii Kootomel in valle Anglicae Columbiae immane incendium exoritur oppida plura comburens, neque humanis victimis parcens.

— d. v Zeppelin comitis aeronavis experimenta feliciter agens fulgere apud Echterdingen urbem destruitur.

Rome vita fungitur Iosephus Chiarini, Italicarum litterarum et criticus magister praeclarus.

— d. vi Berolini convenit coetus legatorum omnium nationum ad historicas res in disceptationem vocandas, praeside Koser doctore.

Burley Hall, castellum illud notissimum Ruthand Shire provinciae, igne vastatur.

— d. vii Romae post diutinum morbum naturae concedit Antonius Di Rudini marchio, qui civilibus Italorum negotiis pluries praeceps. Natus erat Panormi d. vi mens. Aprilis M D C C C X X X I X .

— d. xi Homburg in urbe monumentum exigitur Elisabeth de Axia, Anglicā regali domo genitae.

— d. xm Hyeres in litore navis *Couronne* tyronum ad scholam adhibita incenditur. Nautae septem vaporis eruptione necantur, undeviginti vulnera patiuntur.

— d. xv Carcare ad oppidum Liguria, in suburbano suo, improviso morbo corripitur Antonius Iulius Barrili, milesiarum fabularum scriptor apud Italos exterisque notissimus, annos natus LXXII.

Berolini pariter vita fungitur Fridericus Paulsen, philosophiae magister.

Charcot navarcha Le Havre portum relinquit australe polum petens.

— d. xviii Maypole ad Wigan fodinae inciduntur. Cunicularii septuaginta miseram mortem inter flamas inveniunt.

— d. xx Dusseldorf in urbe Germanorum catholicon conventus sollemniter absolvitur.

— d. xxi Rivi Ianuarii Brasiliiana in urbe civiliū artium recensio prima inauguratorum.

— d. xxiv Metis fato concedit Carolus Borwin, Mecklenburgensis-Strelitz dux.

— d. xxvi Romae moritur Iosephus Cugnoni, Urbani athenaei doctorum decanus, latinarum litterarum peritissimus; Lutetiae Parisiorum autem Henricus Becquerel, a secretis academiae «scientiarum».

— d. xxx Florentiae cursum vitae absolvit Ioannes Fattori, Tuscorum pictorum Nestor.

Die i mens. Septembbris Heidelberg in urbe philosophorum coetus tertius congregatur.

— d. iii Saint-Brieux in nosocomio moritur Augustus Leard, qui telegraphiam meteoricam invenit.

— d. ix Londini, praeside Purpurato Patre Vincentio Vannutelli, Pontificis *legato a latere*, aliisque Eminentissimis viris pluribusque episcopis et catholicae ecclesiae praesulibus adstantibus, coetus Eucharisticus in Westmonasteriensi cathedrali templo sollemniter initur.

— d. xi Albano in oppido repentina morbo abripitur Ludovicus Seitz, religiosae picturae cultor iure celebratus.

— d. xm Ravenae sollemniae Danti Alligherio poetae tribuuntur ac lampas perpetuo ardens ad eius sepulcrum dicatur.

— d. xvi Sarteano, in oppido Etruriae, animam placide religiose Deo reddit Tancredius Canonico,

iuris magister peritissimus et Italici senatus praeses usque ad ultimos vitae suae menses. Natus erat Augus- tae Taurinorum d. xiv mens. Maii M D C C C X X I I I .

— d. xvii catholici iuvenes ad duorum millium numerum Romam conveniunt de catholica actione inter se acturi.

— d. xviii Orvillii Wright «aeroplano», ad Washingtonum experimenta agens, ob machinae improvise fracturam praeceps deiicitur. Selfridge, exercitus legatus, mortem in casu invenit; fabricatoris crux frangitur.

— d. xix Petropoli in urbe cholera morbus, undenam importatus nescitur, late diffunditur.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

Africa. Poema epicum *IANUARI ASPRENATIS* Rocco Presbyteri Neapolitani. — Neapoli ex typis Francisci Iannini et filiorum in via Cisterna Olearia an. r. s. MCMVIII.

A. GARDELLI. *Brevi cenni sul progetto di fondazione di Istituti liberi di educazione ed istruzione secondaria dal nome "Collegi d'Italia".* — Mediolani, ex off. typ. *Agraria* MCMVIII.

AENIGMATA

I.

Nomine sum vini non digna, vicem tamen huius Impleo, dum cerebri viatrix percello cavernas: Illud sol radians, me Mulciber excoquit, amne Gignor alitque Ceres madefactis farris acervis.

II.

Glabra foris, pilosa intus specieque globosa Exsilio quamquam mihi pedis usus abest. Aëreasque carens pennis volitabo per auras, Et vires crebra pulsa resumo manu. IUNIUS.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intramenses duos, unus, sortitus, gratis accipiet I. B. FRANCESIA comoediam latinis versibus scriptam, cui titulus:

SATURIO.

Aenigmata an. XI, n. V proposita his respondent:

1) Semel - a; 2) Palea - r.

Ea rite soluta miserunt:

Ios. Buttgens, *Satrio*. — F. Arnor, *Mediolano*. — Lad. Lud. Podobinski; F. Krause, *Cracovia*. — Petrus Tergestinus. — Max. Vronski, *Nova Wies Narodowa*. — Guil. Schmidt, *Londino*. — Guil. Schenz, *Ratibona*. — F. Guerra, *Aleia*. — Ios. Rainelli, *Arona*. — Am. Robert, *Roma*. — Mich. Hebers, *Neo-Eboraco*. — T. T. Chave, *S. Boise*. — Ios. Martini, *Philadelphia*. — Rich. Müller, *Berolino*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Lod. Dubois, *Massilia*. — I. Ortiz, *Morelia*.

Sortitus est praemium:

GUILELMUS SCHMIDT,

ad quem missum est opus, cui titulus:

THOMAE VALLAURI
DE RE EPIGRAPHICA ACROASIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Pacis*, Phil. Cuggiani.

TARCISIUS — Actio dramatica I. B. FRANCESIA. (9)

(Versibus senariis conscripta).

CIVIS III.

Enim delectari scit Romam sanguine!

CIVIS IV.

O Romanorum grandis occupatio!

CIVIS I.

Tace! Quid ore diecis est poena capitris!

CIVIS II.

Nobis de Christo quid refert?

CIVIS III.

Sane nihil!

CIVIS IV.

Qui clamor, strepitus, rumorque gentium! (1)

PUER I.

Eheu! vos venite, socii, nunc commodum
Locandi tempus!

PUER II.

Qui iocari nunc placet?

PUER III.

Lubetne brachiis?

PUER IV.

Ludis gymnasticis?

PUER I.

E contra ludere impar par magis placet.

PUER II.

Alea!

PUER III.

Talis!

PUER IV.

Pila!

PUER I.

Latronum praeliis!

PUER II.

Pugnis contendam, lubet magis.

PUER III.

Mihi quoque.

PUER IV.

Sed impares sumus!

PUER I.

Vel unus si esset adhuc!

—

(1) Pueri ingrediuntur alaces, iuveniliter huc illuc grasseantes.

SCENA X.

TARCISIUS, CETERI.

FULVIUS (1).

En alter advenit opportunissime:
Eum vocate ad lusum; compleat numerum.

PUER L.

Venit Tarcisius peroptato tempore!

PUER II.

Ita quo vadis festinanter nimium?

PUER III.

Permittis tecum nos iocari per brevi?

PUER IV.

Modo tu dees....

PUER L.

Nostra tu fiducia....

PUER II.

Cur non auscultas, nec moraris?

PUER III.

Desine

Sic currere!

TARCISIUS.

Non possum! Magnum negotium
Modo commissum festinanter impleo.
Valete, amiculi!

PUER I.

Manendum maxime!

TARCISIUS.

Meis fidelis esse negotiis volo.

PUER I.

Tu nos spenis!

PUER II.

Iocaris!

PUER III.

Ladis, perfide!

PUER IV.

Nec iam vocabor Atilius in posterum
Nisi ad ludendum tu nobiscum veneris!

PUER L.

Fugit sed hora; tempus nos conterimus.

(1) *Monstrans Tarcisium advenientes, tenentem summa religionis brachia ad pectus adiungo, ferentes sacra.*

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCVIII

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80

ubique extra Italiam Libell. 6,25

(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis", possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque sive Vox Urbis kalendarium, sive tabulam m. 0,25 × 0,45 Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pio PP. IX anno MDCCXLVI peractam, ad libitum sibi habebit.


Qui socios novos comparaverit duos premiumque eorum subnotationis miserit, subnotatione sibi gratuita omnino fruetur.

Qui socios novos comparaverit tres — bibliopolis exceptis — magnificam tabulam dono accipiet m. 0,63 × 0,85 in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, officina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium mensem — bibliopolis pariter exceptis — dimidiatum premium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra, eodem itinere gratis omnino gaudebit.

Ann. XI. ROMAE, Kal. Novembribus MDCCCCVIII Num. XI.



DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 4,80

ubique extra Italiam: Lib. 6,25 (Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

"Kronika Rodzinna"

Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1600, Rue Notre-Dame.